



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XVIII. De Providentia divina, & Prædeterminatione Physica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38884**



justitia, & misericordia latè & improprie sumptis ut  
perspicuum est.

*Nota 2. ex respons. ad 1.* quædam opera tribui mise-  
ricordiæ, quædam justitiæ; quia in nonnullis magis  
apparet misericordia, & in aliis justitia: unde damna-  
tio reprobatorum dicitur simpliciter opus justitiæ,  
quia justitia punitiva potiores partes in ea. obtinet;  
in illa tamen apparet misericordia: non quidem to-  
tam miseriam depellens, sed etiam minuens, quate-  
nus reprobis puniuntur citra condignum, id est, mi-  
nori pœna quam per se loquendo, & seclusa ordi-  
natione Dei eorum peccatis sit debita; sicut vice ver-  
sa prædestinati præmiantur ultra condignum, qua-  
tenus potuisset Deus sine injustitia, minorem glo-  
riam eorum operibus decernere, quam de facto de-  
creverit.

## CAPUT XVIII.

*De Providentia divina, & Prædeterminatione  
physica.*

**R**ESOLUTIO I. *Ponenda est in Deo providen-  
tia.* EST DE FIDE, ut patet ex Script. *Sapient.*  
*6.* aequaliter cura est illi de omnibus. *Matth. 6.* Respi-  
cite volatilia cœli, &c. *Rationem* affert S. Thom. 1. p.  
*q. 22. art. 3.* quia providentia nihil est aliud quam ra-  
tio ordinis rerum in finem: at in Deo est talis ratio,  
cùm operetur per intellectum, adeoque necesse sit  
omnium effectuum quos producit, rationem in eo  
præexistere.

*Addit autem S. Doct.* providentiam Deo non cõ-  
petere, si sumatur ut est ratio ordinis proprii actus,  
quia in Deo nihil est ordinabile in finem, sed tantum  
si sumatur ut est ratio ordinativa aliorum in finem;  
Deus enim omnia producit, & in finem ordinat. Et  
in *responsione ad 2.* monet rationem illam ordinis quæ  
dicitur providentia, esse æternam; dispositionem ve-  
rò & executionem illius esse temporalem, & vocari  
gubernationem.



*Nota 1.* Providentiam non esse constituendam formaliter in solo actu intellectus, sed etiam in actu voluntatis, cum providentia præter rationem ordinis mediorum ad finem, se tenentem ex parte intellectus, dicat curam aliquam & studium, adeoque voluntatem liberam rerum gerendarum, ut patet ex locis Scripturæ citatis.

*Nota 2.* Providentiam ut spectat ad intellectum, nõ debere constitui in actu imperii, quo decretum voluntatis intimatur; talis enim actus videtur superfluus, cum posita scientia naturali, qua Deus perfectè novit per quæ media quælibet res possit in suum finem ordinari, simulque posito decreto efficaci, quo Deus statuit, ut talis res, per tale medium in suum finem dirigatur, necessario sequatur effectus à Deo provisos. Et quamvis talis actus admittatur, non videtur ratio providentiæ in eo posse constitui, cum per illum providentia jam à Deo constituta, intimitur potentia executivæ: quare probabilius, meo iudicio, senties si dicas, providentiam in suo conceptu formali adæquato includere, tam rationem ordinis mediorum ad finem, quàm propositum seu decretum liberum divinæ voluntatis efficaciter intendentis talem finem, & talia media eligentis.

RESOLUTIO II. *In Deo est providentia rerum omnium.* ] Ita S. Doct. qu. cit. art. 2. QUOD PROBAT, quia cum omne agens agat propter finem tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis; causalitas autem Dei qui est primum agens se extendit usque ad omnia entia, non solum quantum ad principia speciei, sed etiam quantum ad principia individualia, tam corruptibilium quam incorruptibilium: unde necesse est omnia quæ quovis modo habent esse à Deo, ordinata esse in finem, sicque illius subdi providentiæ.

*Hic autem queri potest 1. An aliquis eventus sit casualis & fortuitus respectu divinæ providentiæ.*

*Respon-*



*Respondet S. Thom. ad 1. negativè quod probat, quia effectus dicitur casualis vel fortuitus respectu causæ cujus ordinem effugit; at quamvis possit aliquis effectus exire ordinem causæ particularis, eò quòd hæc potest impediri ab alia causa particulari, non tamen potest effugere ordinem causæ universalis; cum omnes causæ particulares, tam impediens quàm impeditæ, sub universali concludantur, omnes illius concursu ad operandum egeant, & nulla possit impedire, ne quòd ipsa intendit, aut futurum prævidit eveniat.*

*Quæritur 2. An mala culpæ sub divinam providentiam cadant. Respondeo affirmativè, nam hæc mala dupliciter considerantur, vel formaliter ut sunt mala & peccata, vel materialiter prout habent entitatem quandam realem, & positivam; utroque modo sub divinam providentiam cadunt: Primo quidem, quia etsi Deus non sit auctor peccatorum, ea tamen permittit, & ordinat in bonum finem, adeoque sunt materia circa quam divina providentia versatur. Secundo etiam, quia etsi Deus non sit causa movens ad entitatem materialem peccati, ad illam tamen concurrat, quando voluntas creata ad eam se determinat; cum enim ejusmodi entitas sit aliquid reale & physicum, repugnat quòd existat in rerum natura, sine influxu primæ causæ, cujus proinde providentia sicut & causalitas ad eam se extendit.*

RESOLUTIO III. *Deus immediatè rebus omnibus providet, quantum ad rationem ordinis, licet non quoad executionem.* ] Ita S. Thomas 1. p. quæst. 22. art. 3. ubi præmittit ad providentiam duo pertinere, nempe rationem ordinis rerum provisarum in finem, & executionem ordinis, quæ gubernatio dicitur: quo posito docet quantum ad primum horum, Deum immediatè omnibus providere, quia in suo intellectu habet rationem omnium effectuum, & causarum per quas produci debent; quantum



verò ad secundum, quædam esse media divinæ providentiæ, quia Deus inferiora gubernat per superiora, non ex defectu virtutis, sed ex abundantia suæ bonitatis, ut scilicet dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet. Quod non ita debet intelligi, ut ipse Deus per se non exequatur ordinem à sua providentiâ in rebus præstitutum, sed ita ut eum non exequatur nisi cum causis secundis, simul ad eundem concurrentibus.

*Nota ex art. 4.* Providentiâ divinam quibusdam rebus necessitatem imponere, non autem omnibus, quia ad illam spectat res omnes ordinare in finem, non modo separatum, qui est divina bonitas, sed etiam in ipsis rebus existentem, qui est perfectio uniuersæ; at talis perfectio non esset, si omnes gradus essendi non inuenirentur in rebus, quare ad providentiâ divinam pertinet, omnes gradus entium producere; adeoque præparare causas necessarias & contingentes, ut ex iis effectus necessarij & contingentes orientur.

RESOLUTIO IV. *Providentiâ divina non semper assequitur finem particularem ad quem res ordinat.*  
HOC PATET tam in providentiâ naturali quam in supernaturali; nam in primis res naturales ordinantur à Deo ad suos fines particulares sibi proportionatos, à quorum tamen consecutione non raro impediuntur, ut patet quando contingunt effectus monstrofi & casuales.

*Deinde* Deus, ex vera & sincera intentione salvandi omnes homines, præparavit illis media sufficientia per quæ possent salvari, si vellent, & tamen omnes de facto non salvantur; ergo providentiâ non obtinet finem illum particularem ad quem eiusmodi media destinat; idque observat S. Thom. 1. distinct. 40. quest. 1. art. 2.

*Nota* oppositum non colligi ex collecta, quæ recitatur Dominica septima post Pentecost. ubi ita habetur; Deus cujus providentiâ in sui dispositione

non



non fallitur: verum enim est, divinam providentiam nunquam falli, etsi non semper finem particularem obtineat; tum quia Deus probè scit media quæ destinant ad talem finem, ex defectu causæ secundæ effectum non habitura; tum quia licet aliquid recedere videatur à divina providentia secundum unum ordinem, in illam relabitur secundum alium, ut notat S. Thom. 1. p. q. 19. art. 6.

**RESOLUTIO V.** *Physica prædeterminatio cum nostra libertatis usu nullo modo coherere potest, adeoque repugnat quòd providentia divina hominem physicè prædeterminet ad actus liberos.* ] **PROBATUR** 1. quia ex sententia Ansel. lib. 2. cur Deus homo, cap. 18. in Scholis receptissima, necessitas antecedens repugnat libertati quoad usum & exercitium, & sola consequens cum ea coheret; necessitas autem inducta per physicam prædeterminationem est verè antecedens, & nullo modo consequens, cum antecedit, & causet physicè actum voluntatis nostræ eumque non supponat ut jam in præscientia Dei positum, aut ponendum sub conditione.

*Dices 1.* Necessitatem antecedentem ut venit à Deo, non tollere libertatem, ut patet in negatione Petri quæ fuit libera, etsi posita antecedente Christi prædictione, evenit necessariò. Verùm hoc exemplum non est ad propositum, quia etsi prædictio Christi negationem Petri tempore præcesserit, ordine tamen rationis fuit ea posterior; cum non ideo Petrus Christum negaverit; quia Christus prædixit, quin potius prædixerit Christus, quia Petrus verè negaturus erat: quare necessitas negationis orta ex Christi prædictione, non erat antecedens, sed consequens.

*Dices 2.* Patres Dominicanos in privatis colloquiis, plerumque jam affirmare solitos, in eorum sententia, posita motione physicè prædeterminante, voluntatem non agere necessariò, sed tantùm infallibiliter. *Verùm* qui ita loquuntur, non satis sincerè videntur



agere: nam cum non admittant infallibilitatem tantum moralem, quæ potest effectu carere, nec metaphysicam consequentem, ortam ex scientia Dei conditionata planè infallibili, & frustrationi minimè obnoxia, sequitur eos loqui de infallibilitate metaphysica antecedente, orta præcisè ex motione divina, & vi illius intrinseca, antecedenter ad quamcumque prævisionem operationis futuræ. At ejusmodi infallibilitas, tam certò conjuncta est cum effectu, ex vi solius motionis divinæ, ut posita motione illa, possibile non sit voluntatem non agere; adeoque necesse sit eam agere, idque ex necessitate antecedente planè ineluctabili, quam Bannez & Alvarez perspicuè admittunt, quamque omnes sinceri physica prædeterminationis defensores probare tenentur, si consequenter loqui velint. Si quis tamen quandam prædeterminationem physicam effinxerit, per quam absolutè velit non imponi voluntati ea præventæ, necessitatem agendi, moneo argumenta nostra contra ejusmodi prædeterminationem non dirigi; sed contra aliam longè diversam, ut jam non semel alibi, à nobis observatum fuis.

*Probatum 2.* Quia illud liberum dicitur, quod positus omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere, at posita physica prædeterminatione ad agendum, voluntas non potest non agere, sed necessario agit illud unum ad quod impellitur, ergo non agit liberè. Major patet ex vulgari definitione libertatis, apud Theologos & Philosophos, tam antiquos, quam recentiores, communissimè recepta; minor vero non negatur ab adversariis, quando sincerè exponunt quid per physicam prædeterminationem intelligant.

*Dices,* non esse de ratione libertatis quòd in sensu composito cum omnibus requisitis ad agendum, voluntas possit operari, vel non operari, sed satis esse quòd id possit in sensu diviso. *Contra,* nam juxta hanc explicationem tribuenda erit libertas amori beatifico,



fico, & actionibus brutorum? hæc enim & similia non sunt necessaria, nisi in sensu composito cum omnibus ad agendum prærequisitis Deinde quid juvat meam libertatem, quod possim non agere in sensu diviso, si mihi impossibile sit ut faciam sensum divisum.

*Instabis* definitionem allatam libertatis veram esse in sensu composito, si compositio fiat inter omnia ad agendum prærequisita, & potentiam non agendi, non tamen si fiat compositio inter illa, & carentiam operationis. *At certe* hoc gratis dicitur, quia ex communi omnium sensu, positis omnibus ad agendum prærequisitis, voluntas habet potentiam proximam & expeditam ad non agendum, adeoque potest si velit non agere, seu ponere carentiam operationis. Eò vel maxime quia inter omnia prærequisita ad agendum per se spectata, & negationem actionis nulla assignari potest oppositio, ratione cujus repugnet ea simul componi in eadem voluntate.

*Nota* ad solvenda omnia adversariorum argumenta, quæ pro physica prædeterminatione afferri solent, perperam congeiti testimonia & rationes quibus probatur, Deum præfinire actus nostros, & voluntatem nostram ad eos applicare, movere, inclinare, impellere; Ista enim & similia, vel conjuncta sunt cum necessitate agendi, vel non: si non sunt conjuncta, ex his probari non potest physica prædeterminatio, cum hæc omnium consensu necessitatem agendi inferat. Si verò ex iis necessitas agendi inferatur, instamus ea ut summum debere intelligi de necessitate consequente, quam nos admittimus, non autem de necessitate antecedente, qualis ea est quæ inferatur per prædeterminationem physicam. Unde illa propositio, necesse est eum converti, quem Deus efficaciter vult convertere, item illa, impossibile est quòd ille non convertatur, quem Deus absolute vult convertere, aliæque similes quibus interdum Patres, & Scholastici utuntur, nullo modo causam prædeterminantium juvant, cum semper contendamus

dictas



dictas propositiones non posse, nec debere intelligi nisi de necessitate consequente, ipsisque probandum supersit eas de necessitate antecedente, qualis ea est quæ in physica prædeterminatione essentialiter includitur, accipiendas esse.

RESOLUTIO VI. *Nullo modo admittendum est quod Deus voluntatem nostram physicè prædeterminet ad actus malos.* ] PROBATUR 1. ex Conciliis, Arausicanum 2. cap. 25. Ita habet. Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus: At quid quæso est aliquem prædestinare ad malum? sanè aliud nihil quam efficaci decreto statuere, ut ille actum malum perpetret, eumque ad talem actum efficaciter impellere. Et Concilium Trident. Sess. 6. Can. 6. Eos damnat qui dicunt, Deum operari mala opera non solum permissivè, sed etiam propriè & per se; at Deus propriè, & per se operatur opera mala, & non tantum permissivè, si decreto absoluto statuit ut ea fiant, & ad illa patrandæ voluntatem physicè prædeterminat.

*Probatum 2. ex Patribus, Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 4.* Deus, inquit, omnia quorum auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est: quorum autem non est auctor, justus est ultor. At negari non potest, quin homo puniatur propter ipsos actus materiales peccatorum: verbi causa, propter actuale homicidium, vel adulterium realiter spectatum: ergo Deus ex mente Augustini, non est causa quòd homo ejusmodi actus eliciat: esset autem sine dubio, si illum ad eos physicè impelleret, & prædeterminaret. Quis etiam capiat hominem justè puniri propter actus pravos, si ad eos fuit ab ipso mer Deo impulsus per motionem physicè prædeterminantem, id est tam efficacem, ut eâ positâ impossibile sit non malè agere?

*Augustinum sequutus Prosper Responsione 10. ad objectionem*



jectiones Vincentianas. Detestanda, inquit, & abominanda opinio, quæ Deum cujusque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit autorem; cujus prædestinatio, nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est; universæ enim viæ Domini misericordia & veritas, adulteria enim maritatarum, & corruptelas virginum non instituere novit sancta divinitas, sed damnare, nec disponere, sed punire. In quibus verbis ponderandum est, Prosperum disertè loqui de ipsis malis actibus realiter spectatis, & gravi censura damnare eam sententiam, quæ tales actus in Deum, ut in causam, impellentem refert. Unde sine fundamento dicunt aliqui, prædicta & similia debere intelligi de actibus malis formaliter ut mali sunt; præsertim cum ii quos reprehendebant Patres non affererent, Deum nos impellere ad actus malos, ut formaliter mali sunt.

*Probatur 3.* Variis rationibus, quarum prima est quia homo qui peccat, habet auxilium sufficiens, ut possit peccatum vitare, si velit: at nullum est tale auxilium, si physicè prædeterminatur ad actum malum, ut per se notum videtur; siquidem posita tali motione, impossibile est ut non peccet, sub quacunque gratia constitutus sit.

*Secunda est,* quia homo peccat liberè, ergo non prædeterminatur physicè ad actum peccati. Sequela patet ex resolutione præcedenti ubi ostendimus physicam prædeterminationem non stare cum usu nostræ libertatis.

*Tertia,* de fide est Deum non velle peccatum, at oppositum sequeretur si nos prædeterminaret ad actus prævios: siquidem nihil magis volumus quàm id quod decreto absoluto, & efficaci volumus ut fiat, idque ex nobis ipsis, seu aliunde minimè impulsu, quodque mediis efficacissimis fieri curamus, eo modo quo statuimus.

*Quarta,* si Deus voluntatem nostram physicè prædeterminaret ad actum peccati, esset causa peccati,  
at hoc.



at hoc dici non potest, ergo neque illud; sequela majoris ostenditur, nam si dæmon dicitur causa peccati, quatenus te inducit ad actum pravum, variis suasionibus quas facile cum divino auxilio repellere potes; quantò magis Deus dicitur causa peccati si te physicè prædeterminat ad actum malum? Imo si tu ipse es causa peccati, quatenus te determinas ad actum malum, à fortiori Deus erit causa peccati, si non te determinas ad talem actum nisi jam ab illo ad eundem actum prædeterminatus.

*Dices*, ideo Deum non esse causam peccati, quia prædeterminat tantum ad entitatem & substantiam peccati, seu ad actum ut actus est, non autem ad malitiam illius. *Verùm* hæc responsio gratis conficta est, quia quod per se directè est causa, ut ponatur aliquid, consequenter est causa, ut ponatur aliud, quod cum eo necessario & inseparabiliter conjunctum est; at malitia est inseparabilis ab entitate & substantia peccati, prout ista hic & nunc ponitur ab homine rationis compote: ergo si Deus est causa quòd homo in his circumstantiis ponat entitatem & substantiam peccati, consequenter est etiam causa quòd formale peccati ab eo ponatur. Eo vel maximè, quia quando Thomistæ dicunt Deum prædeterminare ad actum pravum, ut actus est, non loquuntur de ratione generica actionis; quæ ut sic non est moraliter mala, sed de tali actu in specie; ut est verbi causa, odium Dei, aut blasphemia, qua ratione malitiam essentialiter, adeoque inseparabiliter conjunctam habet.

*Nota 1.* Deum non sic uti pravis hominibus tanquam instrumentis ad alios debellandos aut affligendos, ut eos prædeterminet ad ejusmodi actus, sed partim quia permittit ut mali aliis noceant, partim quia iusto iudicio eos deserit, quibus nocumentum infertur, non dans eis adiutorium quo malum sibi imminens caveant.

*Nota 2.* Omne quidem ens per participationem reducen-



ducendum esse ad ens per essentiam, non tamen eodem modo; quia licet Deus rectè & merito prædeterminet ea omnia quæ se solo factururus est, non tamen æquum est ut se solo, & non attendendo ad exigentiam voluntatis creatæ, eam prædeterminet ad omnes actus sive bonos, sive malos qui in tempore ab ea prodituri sunt. Neque propterea sequitur multa esse prima principia, quia etsi voluntas creata non indigeat prædeterminari ad agendum, nihil tamen sine intimo Dei influxu conservante & cooperante operari potest, quod repugnat rationi primi principii. Plura ad has duas Resolutiones spectantia videnda sunt in suavi Concordia *disp. 2.* Ubi præcipua incommoda quæ ex physica prædeterminatione sequuntur latissimè tractavimus: omnesque adversariorum evasiones, quibus argumenta nostra eludi possunt, satis accuratè, pro tenuitate nostra occupavimus.

## CAPUT XIX.

*De Prædestinatione.*

**R**ESOLUTIO I. *In Deo de facto admittenda est aliorum prædestinatio.* ] EST DE FIDE, probaturque primò ex Script. *Rom. 8.* Quos prædestinavit, hos & vocavit: *Et Ephes. 1.* Prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Mitto loca quæ testantur aliquos à Deo esse electos, aut eorum nomina scripta esse in cælis; ex his enim & similibus apertè deducitur prædestinationis existentia, sicut ex innumeris Patrum testimoniis, quæ hîc recensere superfluum foret.

*Secundò idem ratione ostenditur, nam prædestinare est ab æterno aliquibus destinare certa media, per quæ vitam æternam efficaciter consequantur; atqui Deus ab æterno nonnullis ejusmodi media destinavit, ergo & eos prædestinavit. Probat minor, nam de fide est aliquos pervenire ad finem ultimum*  
vitæ